

169.
C. B. D.

DISSERTATIO INAUGURALIS. 24.

DE

REVOCATIO-
NE CODICILLO-
RVM.

AD.

L. CVM. PROPONATIS. 3. C. DE.
CODICILLIS.

QVAM

SVB AVSPICIO DIVINO

EX DECRETO.

MAGNIFICI ET AMPLIS-

SIMI ICTORVM ORDINIS, IN IL-

LUSTRI VNIVERSITATE ARGEN-
TORATENSIVM,

PRO

SVMMIS IN VTROQVE JVRE HO-

NORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTO-

RALIBVS RITE CONSEQVENDIS.

SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT.

PHILIPPVS KNEBS, ARGENT.

Ad diem Decemb. horis locoque consuetis.

ARGENTORATI,

Typis JOSIÆ STÆDELI, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

ANNO M DC LXX.

s. jur. civ.

1502

21

V I R O
~~A~~NOBILITATE GENĒ-
RIS, CONSILIORUM GRAVITATE,
RERVMQVE GERENDARVM PRVDENTIA
ATQVE DEXTERITATE MAXIME
CONSPICVO.

DN. JOHANNI JACOBO
KVGLERO,
INCLYTAE SACRI ROMANI
IMPERII. LIBERÆ REIPUBLICÆ AR-
GENTORATENSIS, NOBILISSIMI TRE-
DECIMVIRALIS COLLEGII AS-
SESSORI MERITISSIMO.

PARENTI.
PATRONO.

INSCRIPTIONE HUIUS EXERCITII
INAUGVRALIS.

FIDEM PIETATIS ET OBSERVANTIÆ
SVÆ FACIT.

Filius obsequentissimus.

PHILIPPVS KNIEB.



C. B. D.

DISSERTATIO.

A D.

L. CVM PROPONATIS. 3.
C. DE CODICILLIS.

L. III. Imp. DIOCLETIA-
NVS & MAXIMIANVS. AA.
Hyacintho, & aliis.



*Um proponatis pupillorum ve-
strorum matrem diversis temporibus ac dissonis
voluntatibus duos codicillos ordinasse: in dubium
non venit id, quod priori codicillo inscripserat,
per eum, in quem postea secreta voluntatis sua
contulerat, si à prioris tenore discrepat, & con-
trariam voluntatem continet, revocatum esse.*

P.P. VI. Idib. Septembr. ipsis IV. & III. AA. CONSS. 250.

§. I.

EXantlatis cum bono DEO superioribus septimanis Exa-
minibus Doctoralibus, cum ex Decreto Amplissimi Or-
dinis Jurisconsultorum, mihi insuper specimen quod-
dam navatæ in studio juris diligentia & per eam mihi
acquisitæ Jurisperitiæ esset exhibendum, præ cæteris placuit cir-
ca hanc de REVOCATIONE CODICILLORUM materiam, oc-

A 2

casione

occasione *l. cum proponatis 3. de Codicill.* ingenii vires periclitari. Inficias quidem ire non possumus, plurimas alias celeberrimas passim in jure occurrere materias, è quibus uni vel alteri elaborandæ potuissemus admovere diligentes manus, si per rationem instituti nostri & vires ingenii licuisset; unde speramus, rogamusque quo par est obsequioso affectu, ne hoc, quicquid est, exigui operis intra Dissertationis Academicæ fines in lucem editi, benevolus Lector sereni affectus aura fovere, dedignetur.

2. Quibus in antecessum positis, accedimus ad propositam materiam legis nostræ, ad cujus penitiorem intellectum, primo *in genere* agemus de *externis*, consistentibus in *inscriptione, subscriptione & lectura*: deinde *homonymiam* terminorum quorundam in textu occurrentium subjungemus: quibus præmissis ad ipsa *interna* progrediemur, ubi *divisionem, summam, figurationem casus, rationes dubitandi, decidendi, & respondendi, notabilibus ex lege profluentibus, & nonnullis occasione materia questionibus annexis proponemus.*

3. Et quidem primo consideranda venit *inscriptio legis*: in cujus frontispicio occurrit numerus. 3. quem numerum legis esse sub titulo Codicis de Codicill. & ex numeratione antecedentium colligi constat: usu enim obtinuit, ut singula juris capita, ut ea in ff. ac C. referuntur, hodie leges dicantur. C. I. A. tit. 3. lib. 1. de legibus th. 1. n. 9. add. l. tanta. 2. §. 10. C. de V. I. E.

4. Sequuntur hæc verba: *Impp. Diocletianus & Maximianus*; quibus ostenduntur Personæ *rescribentium*, quæ ad propositam speciem facti in lege contentam illud rescriptum emisere.

5. Vocabulum *Imperatoris* à suprema potestate imperandi sic dictum, secundum *Bald in proæmio Cod. & Felin. in c. novit. 13. X. de judic.* in Republica Romana varias & peculiare habuit significationes; quarum prima est, qua Dux præsens re bene gesta primùm militum acclamatione in castris, deinde sententia Senatus in urbe titulo Imperatoris ornatus est. *Appian. lib. 2. bell. civil.* ubi scribit observatum esse antiquitus, ut non nisi magnis rebus gestis acclamaretur & sua ætate decem millibus occisis acclamatum esse; & in *lib. 5.* tradit, appellatione Imperatoris, Octavium à Lucif

Lucii, Antonium à Domitii Ænobarbi militibus consalutatos fuisse Cicero. lib. 5. Epist. 20. ad Atticum habet hæc verba, Castella munitissima cepimus, incendimus, magnum numerum hostium cecidimus, Imperatores appellati sumus. Cæsar lib. 2. c. 26. de bello civili ita narrat. Iis rebus gestis Curio in castra ad Bagradam se recepit, atque universi exercitus conclamatione Imperator appellatur. Dio lib. 37. ita commemorat, hac appellatione Catilina victo, insignitum Antonium, Ciceronis in Consulatu collegam, licet legitimo numero hostium minime cæso. vid. Rosin. lib. 10. c. 6. Antiquit. Roman. p. m. 1565. Barnab. Briffon. de formul. Popul. Roman p. 351.

6. Altera significatio est, qua summi exercitus Duces & Militiæ Romanæ Moderatores, maxime Consules & Prætores, qui Imperium belli suis auspiciis administrandi à Populo acceperunt, Imperatores appellabantur. Halicarnass. lib. 3. n. 5. & 5. n. 5. Limn. lib. 2. Iur. Publ. part. 1. n. 1. & seqq. Rosin. Antiquit. Roman. lib. 10. c. 6. pag. m. 1565.

7. Tertia designat Principem Romanum, cui ab occupata Republica Romana, & sub unius dominatum redacta à Julio Cæsare, qui primus, Sueton. in Cæsare c. 76. & post eum Octavius, decreto Senatus, nomina Regis Dominiq; ob Tarquinii crudelitatem & superbiam abhorrentis, ita appellatus Halicarnass. lib. 43. illa appellatio in hunc usque diem permansit. Rosin. Antiquit. Rom. lib. 7. c. 12. pag. m. 1120.

8. Quarta est, qua Imperator, quatenus Cæsari opponitur, ille vocatur, qui jam ipso actu imperat, arg. l. etsi 7. ibi: meo vel Cæsaris. Cod. de Malef. & Mathemat. ubi Gothofredus, malè Accursius, inquit, hanc particulam accepit pro vel, non intelligens differentiam Augusti & Cæsaris. Augustus dicebatur, qui reapse imperabat, Cæsar qui ab Augusto electus Imperii successor, ut ex Ammiano constat. Hodie in Imperio tales sunt, qui Reges Romanorum, in Gallia Delphini, in Hispania Infantes.

9. AA. Augusti dicebantur omnes Imperatores ab Octavio Cæsare, qui primus isto titulo insignitus est, ob ingentia facta. Flor. lib. 4. c. 12. in fine, ubi hoc addit, quod in Senatu tractatum fuerit, an quia condidisset Imperium, Romulus vocaretur: sed sanctius & reverentius visum est nomen Augusti; ut sci-

licet jam tum, dum colit terras, iplo nomine & titulo consecra-
retur. Illud nomen dictum vel ab *augendo*, quia hujus debet ef-
se propositi quilibet Imperator, ut augeat Imperium. *Gloss. in*
proem. Inst. unde adhuc hodie Imperatores hoc titulo uti *allzeit*
Mehrer des Reichs. in proem. Aur. Bull. legimus, vel ab augu-
rio, quo denotabatur, quod Persona ejus, cui nomen illud in-
ditum, sit omni veneratione digna, fortunata, & bonis auguriis
consecrata, secundum illos *Ovid. lib. 1. Fastorum* versus:

Sancta vocant Augusta Patres: Augusta vocamus

Templa, Sacerdotum ritè sacrata manu.

Hujus & augurium dependet origine verbi,

& quodcunque suum Juppiter auget ope.

Vide Schneidvv. & communiter Interpr. ad Proem. Inst. Limn. lib. 2. lur.
Publ. part. 1. n. 32.

10. *Diocletianus & Maximianus.* Hi tunc temporis, anno
nempe à nato Christo 290. ut subscriptio ostendit, summa re-
rum potiebantur, de quorum rebus gestis pauca referre lubet.
Diocletianus qui ante Diocles vocabatur, post extinctum Nu-
merianum oblatam ab exercitu purpuram accepit, natus in
Dalmatia, obscuro genere, (fuisse quippe libertus Anulini Se-
natoris traditur) sed fortitudine militari præstans. Præma statim
concione juravit, nullâ suâ fraude Numerianum occisum esse,
& Aprum interfectorem ejus, manu sua peremit. Anno 286.
Maximianum, qui anno præcedenti Cæsar erat factus, ex Cæsare
Augustum creavit, Calend. April. ut labentem barbarorum & ty-
rannorum grassatione rempublicam fulciret. Quippe sub idem
tempus & Carausius occupatis Britannis, & Achilleus in Ægy-
pto purpuram sumpserant, & à Quinquegentianis Africa vasta-
batur, quibus ut occurreretur, ipse Diocletianus in Ægyptum
expeditionem suscepit, & obsessâ per octo menses Alexandria
captaque cum Ægypto rediit ad obsequium. Quinquegentia-
ni quoque à Maximiano Herculeo perdomiti sunt, anno 293.
Post magnificum de illis bellis confectis triumphum ab utroq;
Augusto Romæ celebratum, ambo deposita purpura eodem die
Calendis Aprilis privati facti sunt, Diocletianus Nicomediæ,
Maximianus Mediolani anno 304. quo Consules fuere Diocle-
tianus

clavianus 9. Maximianus 8. ita referente Petavio *in Ration. Temp.* p.m. 310. ex *Idatio & Eutropio*, apud quos plura de eorum vita & rebus gestis videri possunt.

11. *Hyacinthus & alij.* denotant Personas, ad quarum propositionem illud rescriptum datum, tutores scilicet illorum pupillorum, de quorum matre, quod duos ordinaverit codicillos, in lege nostra memoratur, sicut verba initialia *d.l.* satis ostendunt.

12. Subscriptio constat his verbis: P.P. VI. Idib. Septemb. ipsis IV. & III. AA. CONSS 290, quæ ostendit, quo die, mense, anno, & sub quibus Consulibus publicatio illius legis facta sit; scilicet die octavo mensis Septembris, secundum communem computandi rationem, Anno 290. uti in recentioribus Codicibus exprimitur, licet in aliis Editionibus, Vulgata nempe, Haloandrina, Contii, & nonnullis Gothofredianis desideretur; Quamvis autem numerus diei & anni plane non haberetur in lege nostra, nihilominus eam obtinere vim valoremque legis dicendum, per *Const. summa de Iustinian. Cod. Conf. §. 3.* ubi discretis verbis docetur, omnes constitutiones Imperatorias Codici insertas, licet sine die & Consule compositæ sint, tamen generalium constitutionum & legum robur obtinere.

13. Consules fuere Diocletianus & Maximianus Augusti, uti diximus; unde apparet ipsos Imperatores sæpius honore consulari fuisse conspicuos. *Sueton. in Octav. Augusto c. 26.* ubi asseritur de Octavio Augusto Casare, quod nonum Consulatum gesserit. Consularis illa dignitas statim post exactos Reges, anno ducentesimo quadagesimo quarto Urbis conditæ, originem habuit, quo Junius Brutus & Tarquinius Collatinus Consules primi creati sunt. *Livius lib. 1. in fin.* Dicebantur Consules ab eo, quod plurimum reipublicæ consulere *l. 2. §. 16. ff. de Orig. Jur. Flor. lib. 1. c. 9.* Potestas eorum erat summa, quam Cicero *lib. 3. de legibus.* Regium Imperium, Livius Fastigium dignitatum appellat. De eadem Ovid. *lib. 4. de Ponto Eleg. 2.* ita canit:

— nullum Martia summo.

Altius imperium Consule Roma videt. *Dionysius lib. 4.* scribit, quod omnis vis & liberrimum imperium initio apud illos fuerit.

rit,

rit, donec paulatim imminuta est, & redacta ad eum modum, qui gravis libertati non esset. Imminuta autem præcipuè duplici via: Provocationis & intercessionis. Provocatio statim post Reges nata ex lege Valeria. *Livius lib. 2.* quæ animadversiones in cives sustulit, & Imperium Consulare non obscure dissolvit: Non enim posthac vitæ & necis potestas penes Consules fuit, cum provocare ad Populum, velut majorem judicem liceret *d.l. 2. §. 16. ff. de Orig. Jur.* At Intercessio, quæ nata cum Tribunis, arbitrium pacis, belli & graviorum rerum Consulibus eripuit: quoniam intercedere, & impedire omnes Consulares actiones poterant, velut Populi voce. Cujus sanè Populi vis ac dignitas magis magisque crevit, (utique post Hortensiam legem) & imperium sumpsit super omnes Magistratus. Soluta igitur Consulium potestas, non tamen fracta, quamdiu Respublica stetit. Multa enim eorum & adhuc ampla munia, quæ strictim recensita videri possunt apud *Lips. de Magistrat. veter. Pop. Roman.* & apud *Cassiodor. lib. 6. Epist. 1.*

14. Causa autem creandi Consules, utilitas & necessitas erat, quoniam cum Populus Romanus sine Rege & capite esset, fluctuanti illi corpori opus fuit, qui dirigeret & gubernaret. Sed duo creati sunt ideò, ut nova libertas non committeretur periculose uni, & diviso imperio, si alter malus esse voluisset, ut inquit *Eutropius lib. 1.* alter eum, habens potestatem similem, coerceret; qua de causa tempus etiam imperii breve datum, & annum tantum: ne diuturnitate insolescerent, & civiles semper essent, (ut ait idem *Eutropius*) qui se post annum scirent privatos futuros. *Florus lib. 1. c. 9.* utramque causam eleganter completitur. *Ex perpetuo imperio, inquit, annum placuit, ex singulari duplex: ne potestas solitudine, aut mora corrumpereetur; quo etiam pertinet illud Mamerci dictum apud Liv. lib. 4. maximam libertatis custodiam esse, si magna imperia diuturna non essent, & temporis modus imponeretur, quibus juris imponi non posset.*

15. Lectura legis nostræ fere eadem in omnibus Editionibus quas videre contigit, nisi quod, ut jam supra dictum, in Vulgata, Holoandrina, Contii, & nonnullis Gothofredianis Editionibus numerus anni omissus sit, qui tamen in recentioribus

bus

bus expressus habetur, de qua re non adeo magnopere laborandum, cum sive annus additus fuerit, sive omissus, omnes constitutiones Principum in fertas Codici, vim legum obtinere ex supra dictis constet.

16. Et tantum de externis sive Inscriptio, & subscriptione legis. Nunc accedimus propius ad ipsam legem propositam, & quidem ad explicationem terminorum quorundam, ut ab ambiguitate, qua termini juris laborare consueverunt, vindicentur, à qua me pene longius abstraxit, veneratio antiquitatis & in specie Romani Consulatus Fastigium dignitatis.

17. In principio legis hi conspicui sunt termini. *Cum proponatis*, è quibus colligimus, in lege nostra contineri specie rescripti, ad propositionem Hyacinthi & aliorum contutorum emissam. Rescriptorum diversæ sunt species *arg. rubr. C. de divers. rescript.* ut sunt Adnotatio, Epistola, & Pragmatica sanctio *l. universa. 7. C. de divers. rescript.* Adnotatio videtur esse subscriptio vel subnotatio Principis, ad libellum privatæ personæ de privato negotio, *l. 1. C. de precibus imper. off. l. 1. Cod. de div. resc. Pac. in method. Cod. de divers. rescript. n. 11.* Epistola dicitur ratione formæ, non habita ratione utrum facta sit de negotio privato, an ex concilii sententia de negotio publico, *Pac. d. l. in fin. & quidem ejus mentio fit in l. 1. § 1. ff. de constit. Princip. §. sed & quod. 6. Inst. de jur. natur. & Exemplum extat in Cod. Theod. l. mansuetudinis. 12. de Episcop. & Cleric. Pragmatica sanctio est sacra Principis jussio, quæ de publico negotio ex Concilii sententia emittitur, ad alienas preces non privati alicujus, sed universitatis. *l. universa. 7. §. 1. Cod. de div. resc. vel relationem suggestionemve separata à precibus rescribitur l. ult. vers. altera. Cod. de prox. sacro. scrip. vid. C. l. A. lib. 1. tit. 4. th. 33 & seqq.**

18. In lege autem nostra videtur contineri annotatio, quæ est prima species rescriptorum hætenus recensitorum, cujus rei argumento esse potest vel illa formula, *cum proponatis*; quâ Imperatores ad libellos supplices rescribentes sæpissimè utebantur. Unde pervulgatum est hoc rescriptorum exordium, cujus origo, si non ab ultima antiquitate & memoria; at certè ab ea ætate repeti potest, quæ magnum & uberem eximiorum Jurisconsultorum proventum tulit. Habemus enim instru-

B

menta

menta originis firma in *l. si addes. 19. §. cum quidam. 9. ff. Locat. l. 1. C. quemadmod. civil. mun. l. 1. Cod. de Interdict. l. ult. Cod. de fidejussor. tutor. l. ex his. 7. Cod. de testam. milit. l. 3. Cod. de hered. instit. l. cum patrem. 19. Cod. de jur. dot. l. cum proponas. 4. Cod. de dolo. l. 1. Cod. si major. fact. alienat l. 1. l. 3. l. cum proponas. 8. Cod. de fideicommiss. libert. l. 2. Cod. de acquirend. possess. l. creditor. 20. Cod. de donat. int. vir. & uxor. l. cum à matribus. 8. Cod. qui pet. tut. l. quamvis. 4. C. de impuber. l. 3. Cod. de fideicom. l. 1. l. 2. Cod. de condition. insert. l. cum Artemidoram. 4. Cod. ut in poss. leg. l. si jure. 11. Cod. de testam. man. l. scientis. 6. Cod. de ingen. man. l. cum proponas. 6. Cod. de reb. cr. l. 2. Cod. pro socio. l. cum res. 4. Cod. de contrah. empt. l. 3. Cod. de inoff. testam. l. 3. Cod. qui pot. in pignor. l. 2. Cod. de transact. l. minoribus. 6. Cod. de his quibus ut indign. & passim, ut adeo exinde appareat, eam formulam solennem fuisse illi rescriptorum speciei, quæ ad porrectum supplicem libellum ab Imperatoribus edebatur. Illorum libellorum Principi oblato-
 mentio fit in *l. libertus. 15. ff. de in jus vocan. l. quæsitum. 5. ff. ad SC. Turpill. l. Divus Hadrianus. 33. ff. de re judicat. & passim. Suetonius in Augusto c. 45. commemorat, Augustum quoties adfuisset spectaculis nihil egisse: seu vitandi rumoris causa; quo patrem Cæsarem vulgo reprehensum dicebat, quod inter spectandum, epistolis libellisque legendis, ac rescribendis vacaret: seu studio spectandi ac voluptate, qua teneri se neque dissimulavit unquam, & sæpe ingenue professus est.**

19. Sequuntur hæc verba *pupillorum vestrorum*, ad quæ notandum, quod pupilli dicantur illi, qui, cum impuberes sunt, desierunt esse in patris potestate, aut morte, aut emancipatione *l. pupillus. 239. ff. de V. S.* Pubertas autem in masculis æstimatur anno decimo quarto; in feminis anno duodecimo. *pr. pupilli. Inst. quib. mod. tut. finitur.* plena pubertas quæ in adoptionibus. §. *minorem. 4. Instit. de adopt. & aliis articulis juris requiritur l. Mela ait. 14. §. 1. ff. de aliment. vel cibar. legat.* contingit anno decimo octavo *d. ll.* Dicitur autem in *d. l. 239. de V. S.* si desierunt in patris potestate esse morte aut emancipatione; quia si impuberes fuerint deportati aut in servitutem redacti, quod fieri potest §. 1. *Inst. quibus modis tut. finit. l. si adrogati. 14. pr. & §. 1. ff. de tutel. cum delinquere possint, ubi doli capaces facti sunt l. impuberem. 23. pr. ff. de furt. l. excipiuntur. 14. ff. de SC. Silan. l. pupillum. pr. 111. ff. de R. I. & crimi-*

& criminali iudicio teneri *l. clarum. 4. Cod. de auct. prest.* tum utiq; desinunt quoque esse in patris potestate § 1. *Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv. l. in insulam. 6. Cod. de sentent. pass. & restitut.* & tamen tutelæ capaces non sunt, cum istarum pœnarum ea sit conditio, ut tutelam quoque constitutam solvant. §. 1. *Inst. quib. mod. tut. finit. l. si adrogati. 14. pr. & §. 1. ff. de tutel. fin* verò in patris potestate esse desierint morte patris, vel emancipatione, prout *d. l. pupillus. 239. ff. de V. S.* est intelligenda, tunc impuberes illi fiunt proprie sic dicti, & redduntur tutelæ obnoxii.

20. *Matrem.* Vocabulum matris in jure late accipitur, ita ut etiam denotet eam, quæ extra justas nuptias enixa est partum, cum patrem intelligamus non nisi eum, quem justæ nuptiæ demonstrant. *l. vulgo. 23. ff. de stat. homin.* inde est, quod liberi spurii conditionem matris sequantur *l. lex natura. 24. ff. de stat. homin.* vel strictè & magis proprie, pro ea, quæ ex legitimo matrimonio nomen illud nacta est, quæ acceptio etiam videtur esse hujus loci, cum necessario præsupponendum sit legem nostram loqui de pupillis qui ex justis nuptiis procreati patriæ subesse cœperunt potestati, ita ut deinde morte patris vel emancipatione, ea egressi & sui juris facti nomine pupillorum veniant *d. l. pupillus. 239. ff. de V. S.*

21. *Diversis temporibus,* tenendum quod diversa tempora dijudicari soleant ex eo, si aliquid non fiat uno contextu actuq; continuo, ita ut codicilli vel testamenta diversis temporibus dicantur ordinari, ii vel ea, in quibus actus alienus, ad codicillos vel testamentum non pertinens intermiscetur. *l. hac consultissima. 21. & l. cum antiquitas. 28. C. de Testament.* unde apparet, contractum in testamento vel codicillis celebrari non posse *arg. l. verba. 20. ff. de V. S. Fachin. 5. contr 32. Ludvvel. in Exercitat. Disput. 7. th. 7. lit. a.*

22. *Diffonis voluntatibus,* intelliguntur tales, quæ à se invicem discrepant, ita ut simul subsistere non possint. Exempli gratia, si Titia duos fecerit codicillos, & in prioribus Mævio legaverit centum florenos, deinde interjecto quodam tempore, alios contrariam voluntatem continentes, in quibus illos centum florenos Mævio abstulit, & Sempronio legavit, ordinaverit, illi posteriores recte dicuntur dissonantes vel dissonantem à prioribus voluntatem exprimere, sicut ipsa *lex nostra* in verbis

finalibus hanc ipsam explicationem in se claram satis adjuvat.

23. *Duos codicillos.* observandum, quod codicilli in genere denotent quamlibet scripturam *l. administrantes. 41. ff. de excusat. Tutor.* hic verò accipiuntur pro tabulis, quibus moriturus qualicumque voluntate de rebus suis disponit. *add. Wesembec. in π. ff. de jur. Codicill. n. 2.* Originem traxerunt à Divo Augusto, teste Imperatore. *in pr. Inst. de Codicill.* Definiuntur quod sint ultima voluntas minus solennis absque heredis institutione coram quinque testibus facta vel testamento, vel sine eo ab intestato. *Ludvvel. in Exercitat. Disputat. 9. tb. 10.* Olim tempore scilicet Caij JC. semper plurali numero prolatos esse, perinde ac pugillares & liberos constat. *ex l. non est. 148. ff. de V. S.* usu tamen postea receptum ut numero unitatis codicillus diceretur *l. is qui 19. ff. de jur. Codicill. l. cum antiquitas. 28. pr. Cod. de Testam. & h. l. n. 3.* *Cod. de Codicill.* plura de homonymia & divisione videri possunt in *C. I. A. lib. 29. tit. ult. thes. 3. & 4.*

24. *Ordinasse.* illud verbum præcipue quidem dicitur de testamentis: unde in *Inst.* totus titulus de testamentis ordinandis, sed de codicillis quoque non impropriè dicitur. *l. 2. & h. n. l. 3. Cod. de Codicill.* Nam etsi codicilli non ita solenniter ordinantur ut testamenta; sive, ut est in *§. ult. Inst. de Codicill.* nullam solennitatem ordinationis desiderant, testamentariam scilicet: habent tamen sua requisita & quasi solennia. Desiderant enim primo quinque testium numerum. *l. ult. §. fin. Cod. de Codicill.* & in cæci codicillis etiam sextus testis adhibendus est, vel si haberi potest, tabularius. *l. hac consultissima. 8. Cod. qui test. fac. 2.* Testium sive rogatorum sive fortuito venientium, simultaneam præsentiam. *d. l. ult. §. ultim. ibi: in uno eodemq; tempore. Cod. de Codicill. 3.* Ut uno contextu absolvantur. *d. l. ult. §. ult. Cod. de Codicill. l. cum antiquitas 28. Cod. de testam. l. furiosum. 9. Cod. qui testam. fac. 4.* Ut si in scriptis facti sint, testes subscribant. *d. l. fin. §. ult. C. de Codicill. add. C. I. A. lib. 29. tit. ult. th. 14. Locam. que est. Justin. 265.*

25. *In dubium non venit.* Est formula, qua Imperatores in Rescriptis suis sæpius usi sunt, cum consulentes non adeo magnam dubitandi rationem videantur habuisse. Eadem occurrit

rit

rit in l. 3. Cod. quæ res pign. oblig. l. si pater. 9. Cod. de sentent. pass. l. 1. Cod. de offic. eius qui vic. alic. jud. obtin. l. 2. Cod. de religios. l. 3. Cod. de impuber. l. etiam 5. Cod. de obseq. l. 1. Cod. de Codicill. Huic formulæ similes occurrunt passim in jure & imprimis hæc: explorati juris est in l. 1. Cod. sentent. resc. non posse. certi juris est: in l. si fœmina 5. Cod. ad SC. Turpill. incerti juris non est. l. 3. Cod. de interdict. certissimi juris est. l. minoribus 5. Cod. de in integr. restitut. manifesti juris est. l. manifesti. 17. Cod. de Solution. manifestissimi juris est. l. 3. Cod. quib. res judic. non noc. indubitati juris est. l. pacta. 6. Cod. de Pactis. nec dubii juris est. l. interpositas. 13. Cod. de Transf. nullam habet juris dubitationem. l. in servili. 7. Cod. qui dare tut. notissimi juris est. l. transactione. 26. Cod. de Transact. evidentissimi juris est. l. 2. Cod. de posthum. hered. absolutissimi juris est. l. de bonis. 6. Cod. de bon. proscriptor. celeberrimi juris est. l. 2. Cod. si quis aliquem testar. ambigui juris non est. l. curatorem. 10. Cod. qui dare tutor. certissimum est. l. privilegio. 6. Cod. de incol. certum est. l. 2. Cod. in quib. caus. pign. certum & manifestum est. l. procuratorem. 16. Cod. de procurat. est jurisdictionis tenor promptissimus. l. 2. C. de bon. auctor. jud. possid. manifestum est. l. 1. Cod. de quest. manifestissimum est. l. 1. Cod. de his qui ven. etat. notissimum est. l. ex varia. 4. Cod. de delator. notum est. l. 1. Cod. de bon. proscript. publice notum est. l. cum successores. 23. Cod. de eviction. ordinarium est. l. cum status. 5. Cod. de ord. cognition. ordinarij juris est. l. ordinarij. 13. Cod. de R. V. in cognitum non est. l. reum. 6. Cod. de procurat. non est ignotum. l. non est. 6. Cod. de administrat. tutor. dubium non est. l. 1. Cod. solut. matrim. dubitari non oportet. l. unic. Cod. ubi fideic. pet. quid dubium est. l. 2. Cod. de fidejuss. tutor. in dubiis non habetur. l. sicut. 9. Cod. de testam. milit. nemini dubium est. l. crimen. 11. Cod. ad leg. jul. de adulter. Tantum de his formulis solenibus, quæ ut & plures aliæ passim in jure occurrentes eleganter docent rationem rescribendi Imperatoribus olim usitatam, in rebus quæ non adeo dubii juris esse videbantur.

26, *Secreta voluntatis*, hic nihil aliud denotant, quam declarationem voluntatis posterioribus illis codicillis inclusam, quæ voluntati in prioribus codicillis expressæ contraria est. De secreto voluntatis mentio fit etiam in l. 3. in fine. ff. de probat. & l. captatorias. 70. ff. de hered. instituend. ubi eæ captatorie institutiones improbantur, quarum conditio confertur

in secretum alienæ voluntatis. *vid. Gothofred. d. l. captatorias. 70.* ubi inquit quid per secretum alienæ voluntatis intelligitur, an conditio à testatore apposita eo fine ut ab alio hæres instituat? *Cujac. lib. 12. observat. 11. Augustinus 4. emendat. 15.* an potius captatoria institutio, cujus conditio seu eventus conferatur à testatore in meram alterius voluntatem? an verò techna testatoris, per quam alteri hæreditatem pollicetur, si ab eo ipse vel alius instituat, hoc modo. Titius hæres esto, si me quoque testamento suo hæredem faciet; quæ ultima explicatio videtur optime quadrare ad illa verba, *secretum alienæ voluntatis*, cum hæc conditio in secretum alienæ voluntatis conferatur: hamata est, & viscata, secundum verba *Gothofr. ad d. l. 70.*

27. Tantum de *Homonymia* terminorum quorundam juridicorum in textu occurrentium. Nunc memores nostræ dispositionis, nos accingimus ad proponendam divisionem, summam & casum legis nostræ. Divisio non incommode dispesci potest in duas partes, quarum prima continet propositionem principalem his verbis; *Cum proponatis pupillorum vestrorum matrem diversis temporibus ac dissonis voluntatibus duos codicillos ordinasse*: altera responsionem ipsorum Imperatorum, ad preces Hyacinthi & contutorum datam, quæ his concepta verbis. *In dubium non venit id, quod priori codicillo inscripserat, per eum, in quem postea secreta voluntatis suæ contulerat, si à prioris tenore discrepat, & contrariam voluntatem continet, revocatum esse.* Unde summam ejus legis hanc esse facile colligere possumus.

28. Si quis diversis temporibus duos fecerit codicillos, inque posterioribus recesserit à voluntate in prioribus expressa, dubitari non oportere, quin per posteriores contrariam voluntatem continentes prioribus derogatum sit.

29. Casus igitur in *d. l.* contentus, à Glossa, cujus in formatione casuum eminent authoritas, talis proponitur: Mater quorundam pupillorum fecit codicillos. in quibus Titio decem legavit: fecit iterum alios codicillos, in quibus eadem decem Titio abstulit, & Sejo legavit: an Titius illa decem jure codicillorum petere poterit; quæritur: Respondetur quod non, nam per contrariam voluntatem, quod ex primis codicillis sperabatur, revocatum est.

30. Sed

30. Sed cum secundum hanc figurationem casus à Glossa factam non satis appareat, quibus verbis specialibus mater usa sit, in ademptione & translatione illius legati, & proinde de rationibus dubitandi, quæ moverint tutores ad consulendum Imperatores super proposita specie facti (præsumi enim vix potest, eos fuisse adedò imprudentes, & sine omni ratione dubitandi hac in causa adisse Imperatores, precibusq; sollicitasse eorum sententiam) constare possit, duos formabimus casus, expressis terminis specialibus, quibus forsitan mater in ordinatione illorum codicillorum usa est: qui licet in terminis legis nostræ non adedò specialiter proponuntur, tamen sententiæ & menti ejus convenire existimamus, cum alias si statueremus, in *d.l.* nullam subfuisse rationem dubitandi, illa lex in absurditatem quæstionis Domitianæ incideret, de qua sermo in *l. Domitius. 27. ff. qui testament. fac. poss.* Faciemus igitur periculum defendendi, *d.l.* maxime speciosas habuisse rationes dubitandi mox deducendas ex subjunctis hisce casibus, quos, uti modo diximus, non adedò abhorrente mente *l. nostræ.* arbitramur; quorum priorem in hisce terminis figurare placet.

31. Mater quorundam pupillorum diversis temporibus duos ordinavit codicillos, in prioribus fundum Cornelianum, qui centum aureis æstimabatur, legavit Titio pupillo filio suo; interjecto quodam tempore alios fecit codicillos, inque iis de eo fundo, qui in prioribus codicillis Titio pupillo legatus erat, in hunc modum disposuit: *fundum quem Titio pupillo filio meo legavi, Sejo alteri pupillo filio meo do lego.* Quæritur, an fundus Cornelianus, qui in posterioribus codicillis, sub comemoratione Titii pupilli, Sejo alteri pupillo legatus est, Titio in totum sit ademptus & in Sejum translatus, consequenter priores Codicilli per posteriores revocati? Respondetur quod sic, cum appareat posteriores contrariam voluntatem continere.

32. Alterius casus figura hæc est. Mater quorundam pupillorum ordinatis duobus codicillis, discretis temporum intervallis, in prioribus Mævio pupillo centum legavit florenos hac inserta clausula derogatoria, quod licet in posterum alios faciat codicillos dissonantes revocantesq; voluntatem, in prioribus

ribus

ribus contentam; tamen iis minimè obstantibus, priores in suo vigore debeant persistere, voluntasque in iis expressa adimpleri: eadem mater, præterlapso quodam temporis spatio, alios ordinat codicillos, inque iis specialiter mentione facta priorum codicillorum, iisque in sertæ clausulæ derogatoriæ, & pœnitentiæ voluntatis, in iis expositæ, evidenter ostendit, se per eos posteriori loco factos revocare priores clausulam derogatoriam habentes. Quæritur, quinam valeant, an priores propter clausulam derogatoriam, quam annexam habent, an posteriores propter contrariam matris voluntatem, quam inducunt? Respondetur in dubium non venire, per posteriores contrariam voluntatem continentes revocatos esse priores.

33. Præmissa figuratione casuum ea, quam maxime legi nostræ convenire posse credidimus, nostrarum nunc est partium paucis exponere rationes dubitandi, quibus illi tutores inducti, hac in specie facti, tanquam ipsis dubia, rescriptum d. Imperatorum petiere; junctis rationibus decidendi, quas habuere Imperatores, in hoc negotio illam sententiam decisivam in altera parte legis nostræ contentam ferendi, è quibus rationes respondendi, ad allatas rationes dubitandi, profluentes accommodabimus.

34. In priori casu ratio dubitandi consistebat in voluntate matris disponentis non satis manifesta, cum ex solis illis verbis, *fundum quem Titio legavi, Sejo do lego*, quibus mater usa est in posterioribus codicillis, illis tutoribus non satis constituisse videatur, an mater illa personam Seji adjecerit, animo adimendi Titio illud legatum, an vero mente Titio conjungendi Sejum; ita ut utrique in solidum illud legatum sit relictum, ipsoque concursu demum faciant partes sic realiter sibi invicem conjuncti, §. *si eadem. 8. Inst. de legat.* imo potius videatur præsumendum, illam adjectionem Seji non fuisse factam adimendi animo, cum animus nunquam præsumatur, nisi evidentissime apparuerit, si duobus eadem res separatim fuerit legata *l. si pluribus 33. ff. de legat. 1.* & consequenter in dubio illa ademptio ab altero collegatario sit probanda; cum actori incumbat probatio §. *non solum 4 in fin. Inst. de legat.* E quibus voluntatem
matris

matris codicillantibus tutoribus non adeo evidentem fuisse, animadvertere possumus, ut sufficientem rationem dubitandi habuisse videri possint, hoc in casu præfatos Imperatores consultandi. Manifesta enim illa dicitur voluntas, quæ ex signo vel facto aliquo ita evidenter declarata est, ut de ea amplius dubitari non possit. Elegans Exemplum occurrit in testamento militis, quod ante militiam non jure fecit. Constat enim ex §. sed & 4. *Inst. de Militar. testam.* quod inter privilegia militaria hoc quoque sit habendum, ut si miles in militia, testamentum ante militiam confectum resignet, vel quædam adjiciat, sive detrahat, aut alias manifesta sit militis voluntas illud valere volentis, illud testamentum quasi ex nova militis voluntate valeat, ubi manifesta militis voluntas ea dicitur, quæ ex signo seu facto aliquo declarata, sicut colligi potest ex *l. Titius 25. ff. de Test. milit.* cum illa voluntas in testamento ante militiam facto declarata, postea ab eo milite in expeditione degente non mutata, pro manifesta voluntate priore habenda non sit *l. tribunus 20. §. 1. ff. de testam. milit.* sed potius non declarata voluntas nova pro ea deficiente, seu recessione à voluntate priore habeatur *l. in fraudem. 15. §. 2. de testam. milit.* ut adeo exinde appareat, non tantum in nostro casu, sed aliis quoque articulis juris manifestissimam personarum condentium ultima elogia, requiri voluntatem.

35. Quod autem matris illius codicillantibus voluntas dictis tutoribus visa fuerit non adeo perspicua, ulterius apparet ex eo, ut in priori figurato casu præsupponimus, quod sub commemoratione Titii pupilli Sejo pupillo illum fundum Cornelianum reliquerit; Non autem adeo expeditum videbatur esse an ista commemoratio totalem inferat ademptionem. Primo enim illud in dubium vocare videtur *d. l. si pluribus. 33. ff. de legat. 1.* ubi generaliter dicitur, quod si duobus separatim eadem res legata fuerit, priori ademptionem non videri factam, nisi evidentissime hoc apparuerit, atqui in nostro casu, ex ista commemoratione, non evidentissime constare videtur de mente matris codicillantibus.

36. Alteram rationem dubitandi suppeditat *l. quod si 7. ff. de*

K

ff. de

ff. de adim. vel transfer. legat. ubi si testator uni legavit purè, alteri sub conditione, non dicitur primò ademisse legatum, & in secundum transtulisse, nisi appareat testatorem omninò voluisse à primò recedere. Si ergò in casu illo, in quo ultra commemorationem primi, forma legati mutata fuit, cum uni purè alteri sub conditione quid fuerit relictum, non censetur illud à primo ademptum & in secundum translatum, multò minus ademptum dici debet nostro in casu, in quo legati forma mutata non fuit.

37. Tertiã rationem dubitandi facit *§. si eadem. 8. Inst. de legat.* ubi si testator legat eundem Stichum Sejo, quem prius Titio legavit, legatum non in totum videtur esse ademptum à Titio, sed ambo concurrunt.

38. Quartum dubium movet. *l. Iulianus 15. ff. de hered. Instit.* ubi testator instituit Titium ex parte dimidia & Sejum ex altera dimidia, deinde ita dixit; ex qua parte Sejum hæredem institui, ex eadem parte Sempronius hæres esto; hic patet, quod Sempronius fuerit hæres institutus ex parte jam relicta Sejo: & nihilominus ambo ipsi, hoc est Sejus & Sempronius hæredes manent simul conjuncti: atque ita tota illa dimidia non censetur adempta à Sejo & in Sempronium translata. Idem *l. triplici. 142. ff. de V.S.* in iisdem terminis proponit.

39. Ultimam & præcipuam rationem dubitandi subministrat *l. si Fortidianum. 7. Cod. de legat.* ubi his conceptis verbis dicitur, si Fortidianum fundum primo pater tuus fratribus per præceptionem ac mox tibi legavit, concursu dominium ejus tibi quoque quæri; unde colligitur illud legatum à fratribus illis non in totum esse ademptum, sed illos in concursu æqualem accipere portionem.

40. Hanc opinionem, quod legatum secundo relictum sub commemoratione primi, non totalem sed tantum partialem importet ademptionem, probant *Bartol. in l. re conjuncti 89. ff. de legat. 3. in 2. oppos. lason. iud. l. 89. num. 24. & 71. Alexand. lib. 1. in cons. 169. in eadem lege Crottus num. 7. & Ripa num. 22. & Alciatus num. 9. hanc esse communem opinionem testantur, etsi ipsi dissentiant.*

41. Paucis nunc dispiciemus de rationibus decidendi. Rationes autem decidendi sine dubio consistunt in præsumpta matris

tris

tris voluntate legatum Sejo sub commemoratione Titii relictum, à Titio in totum adimere volentis §. 1. *Inst. de adempt. legat. l. sicut 5. ff. de Adimend. vel transf. legat.* ubi in terminis terminantibus asseritur, si quis ita dicat, hominem Stichum, quem Titio legavi, Sejo do, lego, sive in eodem testamento sive in codicillis hoc fecerit, eo casu simul & Titio adimi & Sejo dari illum hominem; Ratio hæc videtur esse, quod in qualibet dispositione verba ita sint interpretanda, ut aliquid operentur. *l. si quando pr. 109. ff. de legat. 1. Felin. in c. sicut. 1. n. 4. de rescript.* Atqui si diceremus, quod Titius & Sejus concurrerent in re legata, commemoratio Titii in legato nullum haberet effectum, quia etiam sine ea commemoratione ambo admitterentur ad legatum *l. si pluribus. 33. ff. de legat. 1. & §. si eadem. 8. Inst. de legat.*

42. Accedit quod in *d. l. sicut. 5. ff. de Adimend. vel transf. legat.* Jurisconsultus usus est illo relativo, quod, nempe quod Titio legavi, id Sejo do lego. Illud relativum, quod, refert totum. *l. Stichum. 6 ff. de legat. 1.* Ulterius probatur, quod illud relativum junctum sit pronomini, ut id, quod, significet omne illud quod antecedit, ita sensit *Bart. in l. si quis. 8. §. ult. de legat. 2. num. 5.* Nostram rationem decidendi adductam adjuvat *l. translatio. 6. §. 1. ff. de Adim. vel transfer. legat.* quo loco dicitur, quod si id, quod à Titio legavi, legem à Mævio; hoc onus legati à Titio esse ademptum & in Mævium translatum. Et sic nihil à Titio peti potest. Quemadmodum ergo illis verbis onus injunctum uni censetur in totum ademptum & in alterum translatum, nec diversitatis ratio reddi potest: idem dici debet in legato, ut iisdem verbis à Titio ademptum in totum & in Sejum translatum præsumatur.

43. Hanc opinionem defendunt *Cynus in l. si Fortidianum 7. C. de legat. Salycet. in d. l. 89. ff. de legat. 3. Crottus in eadem l. num. 10. vers. contraria. Ripa eadem. n. 23. & Alciat. num. 9.* Eandem probavit *Zasius in l. si pluribus 33. de legat. 1. n. 11. & 12.* ut adeo nos amplius fugere, cum autoritate *d. leg.* & celeberrimorum Jurisconsultorum nitamur, non possit ratio decidendi, qua impulsus Imperatores in hunc modum rescribere non dubitaverunt; dubium non est, quin per posteriores codicillos ex hætenus propositis contrariam voluntatem continentem, priores revocati sint; cum ex plu-

ribus articulis juris constet, summum esse favorem ultimarum voluntatum, supremamque semper esse attendendam *l. 1. Cod. de SS. Eccles. l. si mihi 12. §. in legatis. 3. ff. de legat. 1. l. si quis. 22. pr. ff. de legat. 3. 44.* Ad rationes dubitandi productas in th. 35. & proxime sequentibus, ex iis quæ hæctenus proposita, facile ratio respondendi desumi poterit. Et quidem ad *l. 33. si pluribus. ff. de legat. 1.* respondemus quod in casu nostro evidentissime appareat voluntas illius matris legantis, cum clara extet dispositio *d. l. sicut. 5. ff. de adim. legat.* Ad alteram rationem dubitandi desumptam ex *l. quod si 7. ff. de adimend. legat.* dicimus diversum admodum esse casum à nostro; nam in casu *d. l.* utrumque legatum stare eodem tempore poterat, primum pure, secundum sub conditione, cum conditione existente legatum demum in alterum transferatur. Ad tertiam adductam ex *§. si eadem. 8. Inst. de legat.* respondemus quod aliud sit dicere, eundem Stichum do lego, ut in *d. §. aliud sit dicere, Stichum, quem Titio legavi Sejo do lego,* ut in casu nostro ex *d. l. sicut 5. ff. de adimend. vel transf. legat.* Priori enim casu ob id concurrunt, quia prædicta verba sui natura in solidum singulis tribuunt rem ipsam legatam, & sic videntur habere repetitionem inclusam, ex verbis autem repetitivis, non adversativis, nulla ademptio infertur. arg. *l. Iulianus 15. ff. de hered. instituend. l. in repetundis 63. ff. de legat. 3.*

45. Ad quartam depromptam ex *l. Iulianus 15. ff. de hered. instit.* respondetur quod ideo in *d. l.* non censeatur adempta tota illa dimidia à Sejo priori loco instituto & translata in Sempronium, quia ibi facta fuit commemoratio præcedentis institutionis repetitive, & non adversativè. *l. Mevio. 41. pr. ff. de legat. 2.* Ad quintam ex *l. si Fortidianum. 7. Cod. de legat.* respondemus, quod pater ille qui tibi quoque legavit eum fundum, quem antea fratribus suis per præceptionem legaverat, non habuerit animum adimendi, cum alias ille fundus soli tibi deberetur vid. *Glossam ad d. l. Gothofr. in not. Salycet. Brunneinan. ad eandem l. qui omnes asserunt citra animum adimendi legatum tibi posteriori esse relictum, & alias in dubio legatum secundo relictum sub commemoratione primi, videri ademptum primo.*

46. E quibus manifestum evadere putamus modum, quo
codicil-

codicilli priores, per posteriores ex speciali casu in iis præsupposito contrariam voluntatem inducentes, revocantur, non tam ratione codicillorum ipsorum, quam contrariæ voluntatis in iis contentæ, ut adeo contrariam voluntatem bene constituamus modum infirmandi codicillos priores, cum aliàs pluribus codicillis, modo sibi invicem non contrarii sint, quem decedere posse constat. §. ult. Inst. de Codicill. & l. n. 3. Cod. de Codicill.

47. Cum hætenus demonstravimus modum revocandi codicillos consistentem in contraria voluntate in posterioribus codicillis proposita, in speciali casu d. l. præsupposito, nunc ulterius declaraturi sumus per alterum casum, quem supra in th. 32. posuimus, allatis rationibus dubitandi, decidendi & respondendi, eodem modo ut in consideratione prioris casus processimus.

48. Ratio dubitandi in illo posteriori casu à nobis formato, videtur esse constituta in voluntate illius matris codicillantis non satis aperta, cum enim prioribus codicillis hanc clausulam derogatoriam inseruerit, quod, licet alios contrariam continentes voluntatem sit factura, tamen hisce non obstantibus, priores debeant valere, ab initio statim illa videtur se præmunire voluisse, ne priori legatorio per posteriores codicillos, persuasionibus & blanditiis amicorum factos, præjudicium inferret, ut adeo præmunitio illa argumentum præbeat, voluntatis non satis liberæ in posterioribus codicillis expressæ. l. si mihi 12. §. in legatis 3. & l. si ita sit 14. pr. ff. de legat. 1. add. Locam. quest. Justin. 238.

49. Rationem autem decidendi, non satis stringentibus iis quæ hætenus fuere producta, desumptam esse ex regulis illis notissimis, facili conjectura consequi possumus, nimirum quod ambulatoria sit hominis voluntas usque ad vitæ supremæ exitum l. quod si 4. ff. de adimend. vel transf. legat. l. cum hic 32. §. 3. in fin. ff. de donat. inter vir & uxor. & nemo in testamento vel in codicillis sibi possit dicere eam legem, ut à priore ei recedere non liceat l. si quis 22. pr. ff. de legat. 3. accedit quod testamenti factio sit juris publici l. 3. ff. qui testam. fac. poss. ergo sibi aliquis eam tollere non potest. l. jus 38. ff. de Pactis. l. testandi. 13. C. de testam. Salycet. ad l. in testam. 26. C. de testam. num. 6.

50. Ad rationem dubitandi in th. 48. prolatam respondemus

demus, quod non obstantibus ibi propositis, voluntas matris non amplius dubia sit, sed satis clara evadat, si specialiter ut in ipso formato casu præsupposuimus, illa voluntas & clausula derogatoria inserta priori codicillo per posteriorem revocata fuerit. *l. si quis 22. pr. ff. de legat. 3.* vid. omnino *Menoch. lib. 4. præf. 166.* latè hæc de re differentem fundamenta dissentientium adducendo, refutandoque, additis iis rationibus solidis, quibus hæc nostra opinio stabilitur.

51. Absolutis iis quæ ad rationes dubitandi, decidendi & respondendi pertinere visa sunt, quædam nunc notabilia ex textu legis nostræ emergentia hic depromere placet; quorum primum hoc est, quod aliquis duobus vel pluribus codicillis modo sibi invicem non sint contrarii, decedere possit §. *ult. Inst. de Codicill. & l. n. 3. Cod. de Codicill.* quamvis pluribus testamentis nemo decedere possit, sed semper prius per posterius ipso jure rumpatur §. *2. Inst. quib. mod. testam. infirm. l. 1. & l. 2. ff. de injust. rupt. & irrit. testam.* (ubi tamen exceptio notanda in testamento militi. *l. quærebatur 19. pr. ff. de testam. milit.*) ratione diversitatis ea, quod testamentum perfectam & plenam dispositionem de omnibus bonis contineat. *l. 1. ff. qui testam. fac. poss.* adeoque non nisi unum valere possit; codicilli autem de rebus singulis, aut parte bonorum agant, & consequenter etiam duos vel plures simul subsistere nihil impediat. *d. §. fin. Inst. de Codicill. l. Divi. 6. §. 1. ff. de jure Codicill. vid. Gloss. Bartol. Salyc. Iason. Brunnemann. ad d. l. cum proponatis 3 Cod. de Codicill. Ludvvell. in tract. ultim. volunt. part. 2. pag. m. 408.*

52. Alterum notabile ex lege nostra hoc deducitur, quod novissima sive suprema voluntas in codicillis sit spectanda, sic ut in aliis quoque ultimis voluntatibus; & consequenter nemo sibi possit dicere eam legem, ut à priore ei recedere non liceat: cum ambulatoria sit hominis voluntas usque ad vitæ supremæ exitum, per supra in thesi 49. alleg. leg. quibus adstipulatur egregiam ejus rei rationem addens, *l. 1. Cod. de SS. Eccles.* his verbis. *nihil est quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis postquam jam aliud velle non possint, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium.* unde in *l. clari 19 Cod. de Fideic.* asseritur clari & aperti juris esse, in fideicommissis posteriores voluntate

te:

tes esse firmiores; & quidem hoc etiam in testamentis & legibus naturale est. *l. ult. ff. de Constit. Princip. l. sed & 28. ff. de legibus vid. Gothofr. in not. ad l. nostram. 3. C. de Codicill.*

53. Tertium, quod ex lege nostra notandum, est solennitas alicujus formulæ, qua Imperatores sæpiissime uti consueverunt in suis rescriptis super re quadam, quæ ipsis non adeo videbatur esse dubia, quæ ut in lege nostra habetur, his concepta terminis; *in dubium non venit*, quæ etiam habetur in *l. 1. C. de Codicill. & supra in thesi 25. all. leg.*

54. Quartum & ultimum quod exinde notari meretur, est quod olim nihil fuerit frequentius, quam ut Principes sive Imperatores in causis dubiis & controversis consulere-
rentur, non tantum à Personis in publicorum officiorum dignitatibus constitutis, in rebus utilitatem publicam concernentibus, sed etiam à privatis, in rebus ad rem familiarem pertinentibus, sicut videre est non tantum ex hac lege nostra, sed passim ex pluribus aliis rescriptis Codici insertis *vid. Barnab. Briss. lib. 3. pag. m. 306.*

55. Paucis nunc considerabimus nonnullas quæstiones, quæ communiter à Doctoribus circa hanc legem nostram notari solent, quarum prima est: Duo proferuntur codicilli uno eodemq; die confecti, in quorum uno alicui res certa legatur, in altero adimitur, his verbis, *Titio non do, non lego*, & in tempore ignoratur, quod nam sit prius, quod nam sit posterius. Quæritur quid juris. *Glossa, Bart. & Angel. ad d. l. nostram. C. de Codicill.* dicunt, neutrum valere ratione incertitudinis. In hanc rem allegant *l. duo. 30. ff. de testam. tutel. l. si fuerit 10. pr. ibi. item si ex pluribus. l. qui habebat. 28. ff. de reb. dub. l. 3. §. si duobus 7. ff. de adimend. vel transferend. legat. l. cum ex 31. ff. de manumiss. testam.* sed non satis obstantibus iis textibus, putamus veriore esse sententiam eorum, qui statuunt, illos codicillos, in quibus facta est ademptio, derogare prioribus, & consequenter eos tanquam posteriores valere, cum semper id primum esse præsumamus, quod jure primum esse debuit, de jure autem priore loco legamus, posteriore adimimus. cum privationem præcedat habitus, necesse sit. *l. 3. §. 1. ff. de capit. minut. l. decem. 116. ff. de verb. oblig. Salyc. Alexand. Jason. Brunneman. & Gothofr. ad l. nostram.*

56. Altera

56. Altera quæstio est, si duo reperiantur codicilli uno eodemq; die confecti, & in uno legetur res Titio, in altero, Cajo, nec appareat, cui prius vel posterius, nec de alicujus ademptione expressa vel tacita, quid juris. Respondet *Glossa ad. d. l. 3.* quod concursu sibi faciant partes. *l. si pluribus 33. ff. de legat. 1.* Ratio est quia præsumuntur esse re cõjuncti. *l. si Fortidianum. 7. C. de legat* quod est verum, nisi appareat testatorem voluisse, quemlibet in solidum habere; tunc enim uni res, alteri æstimatio danda. *d. l. 33. ff. de legat. 1. add. Salycet. l. son. & Brunne man. ad d. l. si Fortidianum 7. C. de legat.*

57. Ulterius quætere solent Doctores, quid statuendum, si res quædam legetur Titio, & duo sint Titii, æqua charitate leganti cõjuncti, & plane non appareat de quo legans senserit? Respondetur meliorem esse conditionem possidentis, aliàs gratificationi locum fore *l. si quis 8. §. 3. ff. de legat. 2. Salyc. ad l. nostram 3. Gothofr. in not. ad d. l. 8. gratificari, inquit, hæres uni collegatario potest, ubi collegatarj pares sunt per omnia.*

58. Denique illa proponitur quæstio, si posteriores codicilli etiam essent contrarii sed imperfecti; an tollerent priores, verbi gratia, si in iis tantum quatuor testes fuissent adhibiti, responderetur, non tollerẽ priores nisi lapso decennio. *arg. l. sancimus 27. C. de testam. l. consiciuntur. 8. §. 2. ff. de jure Codicill. Vasqu. in d. l. sancimus. 27. Brunne mann. ad. d. l. 3. C. de Codicill.*

59. Et tantum quidem est, quod hac vice, pro instituti & temporis ratione ex hac amplissima materia, excerpendo delibare placuit. **DE VM OPTIMUM MAXIMUM, PRINCIPIVM, & FINEM NOSTRVM,** ex intimis recessibus pectoris mei supplico, ut mea studia, omnesque meas actiones ad gloriam tuam pertinere jubeat: Lectoremque benevolum, ut minus fortassis accurate posita æqui bonique consulere velit, ea quæ par est submissione, rogatum volo.

Coronidis vicem subeant sequentia Corollaria.

- I. *AN clausula codicillaris quibusdam testamentis tacite videatur inesse?*
Neg.
- II. *An codicilli nuda voluntate possint revocari?* *Aff.*
- III. *An inter verbis tantum conjunctos regulariter sit jus adcrescendi?* *N.*
- IV. *An nascitate posthumi rumpantur Codicilli?* *N.*
- V. *An in infirmatione testamenti clausulam derogatoriam habentis, vel codicillorum eandem habentium, specialis revocatio requiratur?* *A.*

F I N I S.